

## No. 640. 1375. 26. März.

*B. Conrad II. eignet dem Capitel Geldzinsen zu Merschütz auf Ansuchen des Probstes Heinr. von Schleinitz, der seines Vaters und sein eigenes Jahrgedächtniss sowie die festliche Begehung des Tages des h. Erhard hierdurch stiftet.*

In nomine domini amen. Cum omnia sub sole consistentia etc. Nos igitur Conradus dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Myssnensis tenore praesentium recognoscimus — quod strenuus Theodericus de Honsperg miles residens in Arnsdorf<sup>a)</sup> de consensu et voluntate Friderici similiter militis, Sytch et Nicolai filiorum aliorumque heredum suorum, quatuor sexagenas viginti tres grossos et quatuor hallenses cum duabus sexagenis et tribus mandalis ovorum et septem pullis annui census in villa dicta Merschewicz<sup>b)</sup>, quae ex altera parte Gane prope Zceuwicz<sup>1)</sup> sita est et ad parrochiam ibidem in Zceuwicz<sup>1)</sup> pertinet, quem quidem censum infrascripti et eorum successores in infrascriptis terminis solvere tenebuntur et debebunt, videlicet Mathias, qui duos colit mansos, de quolibet manso in festo Walpurgis viginti sex grossos et quinque hallenses, et in festo Michaelis de quolibet manso totidem et duos pullos, et similiter de quolibet manso mediam sexagenam ovorum in festo paschae, et de quadam parte agri vulgariter dicta obirschar in festo Walpurgis quatuor grossos, et in festo Michaelis quatuor grossos et duos pullos et mediam sexagenam ovorum in festo paschae, idem de alio manso minoris valoris in festo Walpurgis decem et octo grossos et in festo Michaelis decem et octo grossos et mediam sexagenam ovorum in festo paschae; dictus . . Koblów de uno manso in festo Walpurgis viginti sex grossos et quinque hallenses, et in festo Michaelis totidem et unum pullum, et mediam sexagenam ovorum in festo paschae, et Martinus Pryl<sup>2)</sup> de horto in festo Walpurgis quatuor grossos et in festo Michaelis totidem, quem etiam censum in villa praedicta dictus Theodericus de Honsberg a nobis et nostra ecclesia in pheudum habuit — cum omni iure utilitate honore et fructu, — nihil sibi iuris aut consuetudinis penitus in eodem reservando vendidit pro sexaginta sexagenis et una sexagena viginti sex grossis et octo hallensibus monetae Fribergensis iam integre praefato Theoderico et suis heredibus persolutis honorabili viro domino Heinricho de Slynicz ecclesiae nostrae praeposito, nomine et vice capituli et ecclesiae memoratae. Quem ob hunc censum praenarratus Theodericus pro se suisque heredibus supradictis, coram nobis constitutus spontanea et libera voluntate, nullis coactione vi vel metu intervenientibus et iuramento de non repetendo ad manus nostras praestito, dicto domino Heinricho nomine quo supra conferendum resignavit, renuncians expresse non per errorem, sed ex certa scientia cum dictis suis heredibus omni iuri et actioni, aut cuiuscunque legis canonis consuetudinis vel privilegii auxilio, quae sibi aut suis heredibus quocunque tempore competerent seu competere possent in censu praedicto vel qualibet eius parte, et per quae contra praemissam venditionem

a) Arnsdorf bei Hainichen, Par. Greifendorf. b) Merschütz, Par. Zschaitz.

1) Zcawicz B. 2) Pryl B.